

# D. RVPERTI ABBATIS

TVITIENSIS VITA, AVTHO-  
RE IOHANNE TRITENHEMIO.



**R**VPERTVS Abbas Tuitiensis Canobij, iuxta  
Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti,  
natione Theutonicus, vir in diuinis Scripturis  
Spiritu sancto per visionem illustrante doctissi-  
mus, & secularium literarum non ignarus, Mo-  
nachus sancti Laurentij Traiectensis, propter incredibilem  
eruditionem suam à Friderico Coloniensi Archiepiscopo inde as-  
sumptus, & in Abbatē Tuitiensis monasterij sublimatus, multa  
præclara opuscula composuit. Ex eo siquidem tempore, quo cæno-  
bium in inuentute sua ingressus est, tantum se Scripturis sanctis  
exercitauerat, ut nec dormiens quidem à meditandis illis vide-  
retur posse quiescere, quin lingua & labia eius, quasi legendo mo-  
uerentur. De cuius opusculis, ego tantum ad præses reperi subiecta.

Ad Cūonem Abbatem Sigebergensem, postea Episcopum Ra-  
tisonensem:

De victoria verbi dei.	Lib. XIII.	Nuper cū tu hospes op.
In Genesim.	Lib. IX.	Quicumq; fideli animę dum.
In Cantica Canticorum.	Lib. VII.	Qui contra hominem similem.
In librum sancti Iob.	Lib. X.	In libros Regum de Dauid. Lib. XV.
De sancta Trinitate in vetus testa.	Lib. XLII.	
In Apocalypsim Ioannis	Lib. XII.	Vt tu quoque, o venerabi.
De officijs diuinis.	Lib. XII.	Ea quæ per anni circulum.
Meditationes de incendio Tuitien.	Lib. III.	Ecce quomodo criminator.
In duodecim Prophetas minores.	Lib. XXX.	In Euangelium Matth. Lib. VIII.
In Euangelium Ioannis.	Lib. XIII.	Super Regulā S. Benedicti. Lib. I.
Apologeticum eiusdem operis.	Lib. I.	Epistolarum ad diuerfos. Lib. I.

Denique fertur & alia plura scripsisse, & nouum & vetus Te-  
stamentum, pro maiori parte, in multis libris explanasse: de qui-  
bus vsque in præsens nihil vidimus præter ea, quæ signauimus.  
Claruit multa sanctitate, doctrina & miraculis coruscans, sub  
Henrico V. Anno domini, M. CXXIII. Et sub Lothario  
tertio moritur.